



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXXI. Licitum est a sponsalitiis recedere, & ad vitam contemplativam venire. Si quis aliquam petat in vxorem, cuius viri consanguineam se cognouisse dicat, non est inter eos matrimonium contrahendum, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

CAP. XXXI.

Idem procuratori & canonicis Soranis, in eodem libro.

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam Mariota latrrix præsentium, supplici nobis insinuatione monstravit, quod dum esset in adolescentia constituta, quemdam adolescentem E. nomine, in tantum adamavit, quod vterque inter se de matrimonio contrahendo sub trium personarum testimonio præstitit iuramentum: quod parentes ipsius mulieris ignorantes, eam inuitam & reclamantem, cuidam alii in vxorem tradiderunt. Quem ita exhorruit, quod se ab eo nullo modo cognosci permisit. Cumque publice profiteretur, quod a priore viro cognita esset, atque iurata: episcopus Soranus, qui tunc erat, eos ante præsentiam suam fecit venire: & cognito atque probato, quod inter eos esset proxima linea consanguinitatis, quod solui deberent, nec possent de iure coniungi, ipsos ab inuicem separavit. Ceterum cum causa ipsa tractaretur, & viro cui tradita fuit a parentibus consentire nollet, ipse aliam vxorem traduxit, & ista cuidam viro Ptolemæo nomine, publice in conspectu ecclesiæ nupsit. Tandem cum de illo filium genuisset, pater illius Ptolemæi quærens occasionem diuortii faciendi, ei opposuit, quod filium suum nec potuit, nec debuit de iure in virum habere, eo quod ab alio viro, qui nondum defunctus est, prius desponsata fuisset. Quia vero assertioni eius fidem, sicut non debuimus, non adhibuimus, nec hoc potuimus sub silentio præterire, eam ad vos duximus remittendam, per A. S. præcipiendo mandantes, quatenus rei veritate plenius inquisita & cognita, si inueneritis, quod prædicta mulier a priore viro fuerit iudicio ecclesiæ separata, & ab eodem Ptolemæo sine contradictione ecclesiæ in vxorem traducta, & ille cui inuita & renitens copulata est, de præsentis vita decessit, prædictum Ptolemæum moneatis & compellatis, vt prædictam Mariotam postposita occasione recipiat, & sicut vxorem suam diligere studeat, & maritali affectu tractare. Alioquin eum & superinductam, & patrem etiam ipsius, si huic rei resisterit, vinculo excommunicationis innodetis, & vsque ad condignam satisfactionem ipsam sententiam inuiolabiliter faciatis obseruari.